

hensionibus promanare. Similiter communis illa naturae sensus non est actuale quoddam iudicium, sed certa animi comparatio a natura indita ad ferendum iudicium, cum ea veritates menti fuerint propositae, quemadmodum dixi (l. cit.). Sed quid dicemus de breutorum catulis, qui via natii absque omni institutione ubera materna petunt, lac sagunt, atque sic congruum sibi nutrimentum procurant? dicemusne saltem ipsis instinctum quempiam, qui ab ideis innatis, famis, sitis, uberum, lactis, modique sugendi pendeat, a natura inditum esse? Minime; instinctus illorum aliud non est, quam certa habitudo corporis; et organorum comparatio, unde convenientes in cerebro motus, ac in anima ideas existant, quibus ad haec praestanda determinantur. Nam universim bestiarum verisimiliter ab ideis praesentibus, quas ut in hominibus, cum certis cerebri motionibus coniunguntur, ad omnes suas actiones determinantur. Ut igitur haec omnia a catulis praestantur, tali solum corporis, organorumque habitudine opus est, ut in certis adjunctis, positisque certis in corpore affectionibus, in cerebro motus concident, quibus idae famis, sitis, lactis, uberum, ac modi sugendi in anima respondent, quod in aliis quoque, quae bruta naturaliter exercent, artificis contingit, ut infra exposito ostendam. Istud porro ad sapientissimam Conditorum providentiam pertinuisse videtur, eo quod secus catulus prorsertim de necessariis vitaes conservandae subsidisi provisum non fuisset. Contra infantibus, quorum curam matres, ac nutritrices gerunt, neque hanc corporis habitudinem a natura concessam esse experimunt. Hinc autem alterius concluditur, quod si etiam bestis ideas congenitas tribuerimus, non tamen ad homines argumentum valere, in illis nempe necessariae forent ad vitaes conservationem, ac speciei propagationem; non item in his, neque etiam ab infantibus recens natis similes actiones, quas breutorum catuli vix in lucem editi ponunt, exerceri certimus. Sed quoniam haec corporis habitudo, et organorum comparatio ad id genus actiones explicandas omnino sufficit, analogiae leges postulant, ut neque brutis innatas, quas hominibus denegamus, ideas tribuamus.

S E C T I O N I V .

DE PERPETUA ANIMA^E HUMAN^E DURATIONE,

QUOD SECTIONIS ARGUMENTUM?

CCXXXI. Restat gravissimum Psychologiae argumentum: perpetua animae duratio, quam etsi Revelatione Divina certissimam, rationibus tamen constabiliter nostra hac etate non modo utilissimum, verum et summe necessarium videtur; ingens siquidem profanorum hominum, ingens minutorum philosophorum est numerus, qui pestiferis suis scriptis veritatem labefactare nituntur. Hoc porro in argumento ita versabor, ut primum firmissimis rationibus evincam, an-

nam nostram natura sua non existentiam solum, sed etiam vitam perpetuo continuare; unde eam naturali immortalitate gaudere consequens est. At, quia istud solum naturali nostro beatitatis desiderio penitus nonsatisfacit, ostendam porro, quantum humanae rationi sci- re datum est, vele Deum, eti absolute res omnes annihilandi poten- tia polleat, ut anima nostra perpetua existat, et vivat. Quatuor igitur capita sectionem absorvent.

C A P U T I.

De naturali Existentiā Animae Humanae, in perpetuum continuatione.

QUID CORRIMPI, CORRUPTIBLE ET INCORRUPTIBLE?

CCXXXII. Corrumpti dicimus, quod in partes, ex quibus coagmen- tum erat, resolutur. Eius itaque est corruptibile, quod potest; incorruptible, quod non potest in partes resoluti.

Coroll. 1. Quidquid ex partibus realibus constat, in se spectatum in easdem resoluti potest: igitur omne ens compositum est corruptibile, et vicissim omnes ens corruptibile, est ens compositum.

Coroll. 2. Quidquid partibus realibus constitutus, in easdem resoluti nequit: igitur omne ens simplex est incorruptibile, et vicissim omne ens incorruptibile est simplex.

ENS INCORRUPTIBLE CUM TERRIT ANNHIILATUR.

CCXXXIII. Ens incorruptibile perire non potest nisi per annihi- lationem. Ens incorruptibile est ens simplex (§. praeo. cor. 2.), sed ens simplex perire non potest, nisi per annihilationem (ont. §. 186.); ergo ens incorruptibile nisi per annihilationem perire non potest.

ANIMA HUMANA EST INCORRUPTIBILIS.

CCXXXIV. Anima humana est incorruptibilis. Anima humana est ens simplex (§. 133.); sed omne ens simplex est incorruptibile (§. 139. cor. 2.); igitur anima humana est incorruptibilis.

Coroll. Anima itaque humana perire non potest nisi per annihilationem.

IGITUR SOLUM ANNHIILATIONE PERIRE POTEST, ANIMA PER VIM GREATAM, PERIRE NEQUIT.

CCXXXV. Anima humana a vi entis creati existentia spolia- ri nequit. Anima humana nequit existentia spoliari, nisi per annihi- lationem (§. praeo. cor.); sed nulla vis entis creati quidquam annihi- late potest: ergo anima humana a vi entis creati existentia spolia- ri nequit.

Coroll. 1. Cum natura diversa aliud non sit, quam collectio omnium virium, quae in omnibus entibus creatis insunt (cosm. §. 86.); per- spectivum est in universa natura non esse vim ullam, que animae humanae existentiam tollat.

Coroll. 2. *Igitur spectata duntaxat naturae etiam universae viribus animae perpetuo suam existentiam continuant.*

Schol. *Vim quidquam annihilandi in entibus creatis non extare in theologia demonstrabitur. Interca si quis dubitet, haec habeat. Annihilatio est mera conservationis cessatio: ille igitur solus annihilare potest, qui potest conservare. Porro conservatio est continua creatio: igitur ille solus conservare potest, qui potest creare; creatio vero vim infinitam, quae nulli enti creato competere potest, deposit.*

IN Natura Nihil EXIGIT ANNULATIONEM ANIMAE.

CCXXXIV. In legibus, ordine, cursuque naturae nihil est, quod exigat, ut Deus unquam animam humanam existentia spoliem. Imprimis enim talis quidquam nec ad adversarios proferri, nec a nobis cogitari potest. Deinde si quidquam animae annihilacionem exigeret, haec exigentia vel esset pro statu conjunctio cum corpore, vel pro statu separations, vel pro eo tempore, quo coniunctio illa dissolvitur: non primum; contrarium quippe experientia restatur; non alterum: nam separata a corpore, et cogitare potest, et finem, cum porro existat, habet, ut corpus deinceps apparetur: non ultimum, tum enim duntaxat corrumptitur, unde velut instrumentum ineptum ab anima deseritur; hanc vero corporis corruptionem animas annihilationem postulare, ille solum asseritur, qui animam ob solum corpus conditam fuisse demonstraverit. Ergo patet propositum.

Coroll. *Igitur spectata duntaxat naturae legibus, ordine, et cursu anima humana perpetuo suam existentiam continuat.*

DEUS UT AUCTOR NATURAE ANIMAM ANNIHILARE NEQUIT.

CCXXXV. Deus ut auctor naturae non potest animam humanam unquam existentiam spoliare. Deus ut auctor naturae agit, cum se accommodat naturae universae, ejusque legibus ordinis, et cursu a se constitutis: igitur Deus ut auctor naturae nihil unquam agere potest, quod spectata duntaxat naturae universae viribus, legibus, ordine, et cursu fieri non debet; sed ut anima humana existentia spolietur, spectata duntaxat naturae universae viribus, legibus, ordine, et cursu fieri non debet (§. 223. cor. 2. praec. cor.*). Ergo Deus ut auctor naturae non potest unquam animam humanam existentiam spoliare.*

Coroll. *Deus itaque ut auctor naturae existentiam animae humanae aeternam conservabit.*

QUAE IPSA NATURA SUA EXISTENTIAM PERPETUO CONTINUAT.

CCXXXVI. Anima humana natura sua in perpetuum existentiam continuat. Si quoens poqua e viribus entium creatorum, nequa a Deo, ut auctore naturae, existentia spoliari possit, illud summo jure natura sua existentiam perpetuo continuare dicatur; sed anima humana nequa e viribus entium creatorum (§. 223. 3.*), nequa a Deo, ut Auctore naturae, existentia spoliari potest (*y. praec.*): ergo anima humana natura sua in perpetuum existentiam continuat.*

G A P U T I I.

De Naturali Vitae Animae Humanae in perpetuum Continuacione.

QUOD VITA ET MORS ANIMA?

*CCXXXVII. Vita animae humanae status est, in quo ipsa operationes per facultates suas, praesertim superiores, possibilis et exercere potest, et actu exerceat. Mors contra animam ille foret status, in quo ea, tametsi existentiam continuaret, nullam prorsus operationem proxime exercere posset (*conf. §§. 203. 159.*).*

VIS COGITANDI ANIMAE A VI CREATA NEC TOLLI -- NEC PENitus IMPEDIRE POTEST -- Igitur NEC ANIMA VITA SPOLIARI.

CCXXXVIII. Vis cogitandi, quae in anima humana inest, a nulla vi creata tolli potest. Cum vis cogitandi, quae in anima inest, illius essentia sit (§. 158.*), ea sublata anima existentia spoliaretur, sed anima a nulla vi creata existentia spoliari potest (*§. 223.*): ergo vis cogitandi, quae in anima humana inest, a nulla vi creata tolli potest.*

CCXXXIX. Vis cogitandi, quae in anima humana inest, a nullo ente creato ab omni actione impeditri potest. Istud quippe fieri debebet vel positione aliecius impedimenti, vel subtractione omnis objecti cogitabilis; sed neutrum ab ente creato praestari potest: non primum; impeditum enim, quod vi alieni obicitur, inter illam, et terminum, quo ea tendit, ponatur necesse est: sic impedimentum ponit potest vi motrici corporis, ne motum actuali producat; jam vero vis cogitandi, non habet terminum a substantia, in qua inest, distinctum; igitur hoc modo ipsi impedimentum ab ente creato ponit nequit. Non alterum: omne objectum cogitabile, a quo solo vis cogitandi natura suscepit, ab ente creato animae subtrahi numquam potest; nam ipsa sibi est objectum intime praesens: potest igitur semper se ipsam, suasque mutationes, et affectiones percipire, tum quoque ex his ratiocinando primum suam contingentiam, et mutabilitatem, deinde existentiam entis necessarii, ac infinitarum in eo perfectionum concludere, qui immensus est cogitationum campus. Quid quod etiam cogitationes praeteritae, et olim in corpore habitae animae recurrere possunt, circa quas ea rursus reflectendo, abstractendo, componendo versari poterit; haec autem cogitandi objecta ab ente creato animae subtrahi numquam possunt: igitur vis cogitandi, quae in anima humana inest, a nullo ente creato ab omni actione impeditri potest.

CCXL. Anima humana a nulla vi entis creati vita spoliari potest. Ut anima humana vita spolietur necesse foret, ut ipsius cogitandi vis vel omnino tollatur, vel prorsus ab omni actione impeditur (§. 237. 1.*); sed neutrum ab una vi entis creati praestari potest (*§. 238. praec.*): ergo anima humana a nulla vi entis creati vita spoliari potest.*

Coroll. *In universaliter natura non est vis, quae animae vitam adi-*

mat, atque inde spectat duxat naturae etiam universae viribus anima humana perpetuo suam vitam continuat.

IN NATURA NIMIS EXISTIT MORTALIA ANIMA.

CXLII. In legibus, ordine cursuque naturae nihil est, quod existat, ut Deus unquam animam humanam vita spoliat. Demonstratur eadem plane rationis conclusio, qua (§. 235.) probavimus nihil esse in natura, quod animae annihilationem exigat. Hic maximum pondus addunt animae proprietates, quae ab opposito aeternam illius vitas conservationem a Deo postulant, quod jam videbimus. **Coroll.** Igitur spectat duxat naturae legibus, ordine, et cursu, anima humana perpetuo suam vitam continuat.

QUADAM ANIMAE PROPRIETATES SINE AETERNA VITA OTIOSAE FORENT
QUOD DEUS UT AUTOR NATURAE VELLER NEQUIT.

CXLIII. Insunt in anima humana naturales id genus proprietates, quae nisipsa aeternum vivat, absolute otiosae, et frustaneae forent. Insunt in anima, ut cuivis conscientia intima testatur, proprietates, quae naturalem relationem, et connexionem cum aeternitate habent. Quid enim? an non potentia semper cognoscendi, amandi Deum conditorum, finemque suum ultimum: capacitas per actus honestos, vel in honestis, praemium, vel poenam aeternam pro merendis; naturalis animi comparatio appetendi, et possidendi veram beatitudinem, quae Tullii quoque opinione aeterna esse debet (*Defin. l. 2. c. 27.*); providentia ad infinitum quoque tempus sese porrigens: sitis gloriae omnium saeculorum memoriam complectentes, in natu, ut rursus Tullius, cognitionis, et scientiae amor (*l. 1. 6. c. 18.*); an non, inquit, hae et similes animae nostrae proprietates naturaliter cum perpetuitate conjunguntur? Jam vero cui usi proprietates cum aeternitate connexiona sine aeternae animae vita esse possunt? profecto vanum est desiderium, et in ille, quod impleri non quam potest; vanae sunt omnes animae capacitates, si sum finem consequi nullo prorsus pacto queant: ergo dubitari nequit inesse in anima humana naturales id genus, proprietates, quae nisi ipsa aeternum vivat, absolute otiosae, et frustaneae forent.

CXLIII. Deus ut auctor naturae potest velle, ut naturales animae proprietates otiosae sint, ac frustaneae. Deus ut auctor naturae debet singula entia creata accomodate ad proprietates ipsi concessas gubernare, nec potest quidpiam hisce proprietatis contrarium statuere: secus enim contra, non secundum naturam, quod auctoris naturas est, ageret; sed si Deus velle, ut naturales animae proprietates otiosae sint, ac frustaneae, non gubernaret animam humanam accomodate ad proprietates ipsi concessas: ergo Deus ut auctor naturae non potest velle, ut naturales animae proprietates otiosae sint, ac frustaneae.

Coroll. Jure igitur dictimus naturales quasdam animas humanas proprietates a Deo ut auctore naturae exigere, ut animam vitam perpetuo conservet.

DEUS ET AUTOR NATURAE NEQUIVIT ANIMAM VITAM SPOILIARE — QUARE IPSA NATURA SUA VITAM PERPETUO CONTINUAT.

CXLIV. Deus ut auctor naturae non potest animam humanum unquam vita spoliare. Imprimis enim tam spectat naturae universae viribus (§. 240. cor.), quam spectat naturae legibus, ordine, et cursu anima perpetuo suam vitam continuat (§. 241. cor.). Deinde absque aeterna animae vita complures eius proprietates ojoscere forent, ac frustaneae (§. 242.); atque istud Deus ut auctor naturae velli non potest (§. praeo.); ergo Deus ut auctor naturae non potest animam humanam unquam vita spoliare (conf. §. 233.).

CXLV. *Animam humana naturam sua in perpetuum vitam continuit.* Neque enim a viribus entium creatorum (§. 240.), negue a Deo ut auctore naturae vita spoliari potest (conf. §. 237.).

C A P U T III.

De Naturali Animae Humanae Immortalitate.

QUID IMMORTALE, IMMORTALITAS — ET QUOTUPLEX?

CXLVI. *Immortaliter dicimus, quod mori non potest; patet vero ad id satis non esse, ut ens existentia semper continuet, verum etiam requiri, ut functiones suas vitales perpetuo obeat. Quare immortalitas recte definit esse potentia aeternam existendi, atque vivendi, vel etiam, si mavis, perpetua existentias, ac vitas continuatio.* **Coroll.** Ens itaque, quod nulla ratione vivit, quale est ens simplex materialis, elementum corporis, incorruptibile quidem (§. 230. coroll. 2.) esse potest; non item immortale.

CXLVII. *Essentia immortale est, quod in se et existentiae, et vitae sue ratione sufficiente continet, quodque proinde neutrorum absque contradictione privari potest. Natura immortale, quod nec a viribus entium creatorum, nec a Deo ut naturae auctore existentia, aut vita spoliari potest, quodque adeo natura sua tam existentiam, quam vitam perpetuo continuat. Gratia demum immortale dicitur, cuius existentia, et vita ex gratuito Conditoris beneficio praeter naturalem rerum ordinem perpetuo conservatur.*

QUAE QUARTIOR?

Schol. Per se clarum est, essentialiem immortalitatem nulli enti contingit, ac proinde neque animae nostrae competere posse; ita enim existere, ut non existentia contradictionem involvat, soli enti necessario, Deo nimur proprium est. Praesens itaque quæstio in eo duxat vertit, utrum perpetua animae duratio, quam ex revelatione divina certo novimus, a solo, et liberali Dei beneficio, an vero ab ipsa anima natura profisciscatur, id est, utrum animas nostras immortalitas gratuita solum, an naturalis sit? sed ne minus perspicuum est, incorruptibilitatem animae, quamvis necessaria primum adesse debeat, tutam ejus immortalitatem minime constitutere; quare non erat, cur vel Cartesius de demonstrata pri-

mum ab ea animae immortalitate tantopore gloriaretur, vel Arnaudus ipsum singularis Numinis providentia ad nos erudiendo submissum fuisse putaret; nihil certe ad evincendam animae immortalitatem philosophus ille contulit; solum quippe ejus a corpore discriben, ac incorruptibilitatem quae praerogativa bestiarum quoque animis, quin ipsis corporum elementis propria est, demonstravit. Videantur Baylius (*Dict. hist. et crit. art. Pompon. rem. C.*) Finge, quaequo, animam a corpore separatam perpetuo quidem existere, at esse in statu quodam somni, aut soporis, in qua vel nullas prorsus vel saltem non claras representationes efficeret: quae haec immortalitatis dici meretur? aut si quidem; cuius ipsa usus, aut utilitatis fore? recte igitur Wolfius, Vulnigerus, Thumigius, Reinbeckius tria statuent immortalitatis requisita: 1.) Ut anima a corpore separata existentiam perpetuo continuet. 2.) Ut in statu perceptionis distinctiarum perseverat: 3.) Ut sui conscientiam, statimque praeteritorum recordationem retineat, eosque ad se pertinere agnoscat. Atque istud ipsa ratio praemii, poenaeque, cuius anima capax est, postulati puniri enim, aut premiare nequit, qui vel non existit, vel nullam eorum, quae sunt, conscientiam habet, vel denique rerum a se gestarum oblivione capitur.

ANIMA SUA NATURA IMMORTALIS EST.

CCXLVIII. *Anima humana natura sua immortalis est.* Ens, quod natura sua tam existentiam, quam vitam perpetuo continuat, natura sua immortale est (*§. praecl.*); sed anima humana natura sua tam existentiam (*§. 236.*), quam vitam perpetuo continuat (*§. 245.*); ergo anima humana natura sua immortalis est.

ARGUMENTA MORALIA.

Schol. Supersunt et alia gravissima argumenta, quae vulgo moralia dicit solent.

A SENSI COMMUNI.

- 1.) Dubitari nequit, sententiam hanc sensu communi, validissimo illo veritatis indicio (*§. 172. log.*), perspicue comprobari; nisi enim ea in nobis inesse animi comparatio, qua naturae ducta ex feratur, ut aliis post hanc vitam superesse, neque totos nos cum corpore perire judicemus, nimquaque haec de animorum immortalitate opinio tam universalis, tam constans esse, totique saeculis confirmari potuisse; habet ea profecto omnes illos characteres, ex quibus consensio naturae propensiones nixa ab aliis consensionibus hominum magis universalibus dignoscitur (*§. 171. sch. log.*). Neque recens est, aut heri nata argumentatio istacea: veteres quoque philosophi ea usi sunt: *Cum de animorum immortalitate disserimus, ait Seneca (Ep. 110), non leve apud nos habet pondus consensus hominum aut timendum aethera, aut coelentium.* Macrobius scribit (*In somni. Scip. l. 1. c. 14.*): *obtinuisse jam non minus de incorporalitate, quam de immortalitate animae sen-*

De Naturali Animae Humanae Immortalitate. 215
 tentia. Sed Tullii oratio nulla satis laude condecorari potest (*Q. tusc. l. 1. c. 13.*): *Omni autem in re consenso omnium gentium lex naturae putanda est; quis est igitur, qui suorum mortem primo non lugeat, quod eos orbatos vitae commodis arbitretur? tolle hanc opinionem, luctum sustuleris; nemo enim moeret suo incommode; dolent fortasse, et anguntur; sed illa lugubris lamentatio, fletusque moerens ex eo est, quod eum, quem dileximus, vitae commodis privatum arbitramur, idque sentire. Atque haec ita sentimus natura dux, nulla ratione, nulla laque doctrina. Maximum vero argumentum est, naturam ipsam de immortalitate animorum tacitam judicare, quod omnibus curiae sunt, et maxime quidem, quae post mortem futura sunt. — Nemo unquam sine magna spe immortalitatis se pro patria offerret ad mortem. — Sed nescio, quomodo inhaeret in membris quasi saeculorum quoddam augurium futuron: idque in maximis ingenii, altissimisque animis et existit maxime, et appareat facilime, quo quidem demto, quis tam esset amens, qui semper in laboribus, in periculis viveret? — Quod si omnium consensus naturae vox est, omnesque, qui ubique sunt, consentiant esse aliquid, quod ad eos pertineat, qui vita cesserint, nobis quoque idem existimandum est; et si quorum aut ingenio, aut virtute animas excellit, eos arbitrari, quia natura optima sunt, cernere naturae vim maxime: verisimile est, cum optimus quisque maxime posteritati serviat, esse aliquid, cuius est post mortem sensum sit habiturus. Et nonne studium famae, et honoris etiam post corporis interitam duratur, cura exequiarum, et sepulchrorum in omnibus nationibus, in plurimis etiam apothecoseos mortem viguisse novimus? his addo perulgatam adeo inter voteres de metempsychosi opinionem. Quid autem ista? nonne insitam in omnium animis immortalitatis spem loquuntur?*

Quod si testimonios pugnandum est: audi Psellum, qui apud Stanleum (*Hist. phil. t. 2. p. 1128.*) vetustissimos Chaldaeos de immortalitate animalium firmissime persuasos fuisse testatur; Strabonem (*Rer. geograph. l. 15. p. 7. 15.*), qui Indos, eorumque Brachmanes ita sensisse scribit: *hanc quidem vitam putandam esse, quasi quendam vividum hominum conceptum; mortem vero natiuitatem ad veram illam, et felicem vitam;* Diodorun (*Bibl. hist. l. 1. p. 13.*), qui de Egyptis narrat, eos honorum virorum obitum nequaquam lacrymis prosecutus fuisse, sed ipsorum potius felicitati applansisse; *eo quod in altera vita cum iis aeternum victuri essent;* Caelium Rhodiginum (*Lect. antiqu. l. 18. c. 31.*), qui Chaldaeos, Indorumque Magos nihil habent opinione antiquis habuisse refert; Julianum Caesarem (*De bell. Gall. l. 6.*), qui ea potissimum de caussa Druidas in Gallia huic dogmati adhaesisse scribit, quod homines, hoc maxime ad virtutem excitari, metu mortis neglecto, putarent. Prisci deinde illi, quos Cascos Ennius

appellavit, Ciceron teste (Qq. tusc. l. i. c. 12.), arbitrabantur: esse in morte sensum neque excessu vita sic delerit hominem, ut funditus interiret; idque cum multis aliis rebus, tum et pontifico iure, et caeremoniis sepulchorum intelligi licet, quas maximus ingenis praediti nec tanta cura coluisserint, nec violatas tam in expiabili religione sanzissent, nisi haesisset in eorum mentibus, mortem non interitum esse omnia tollentem, atque dolentem, sed quamdam quasi migrationem, commutationem vitae. Denique apud omnes antiquitatis notos populos opinionem de animorum immortalitate vigneisse, multis Hugo Grotius demonstrat (De verit. rel. chr. c. 1. l. 2.): id ex Homeri, ait, carminibus appetat, et ex philosophis non Graecorum tantum, sed et Gallorum, quos Druidas vocabant, et Indorum, quos Bracmanes, et ex iis, quae de Egyptis, et Tracibus, quin et Germanis scriptores plurimi prodiderunt.

Veniamus ad philosophorum nobilissimos. Duo illi omnium principes, Thales, et Pythagoras immortalitatem animorum omni studio defenderunt testibus Laertio (Vit. phil. l. 1. segm. 24. l. 8. serm. 3.) et Plutarcho (De plac. phil. l. 4. c. 2. 7.), Socratem propediem moriturum de immortalitate copiosissime disseruisse alias diximus (§. 8. log.). His et talibus, scribit de eo Cicero (Qq. tusc. l. i. c. 29. 30.), rationibus adductus Socrates nec patronum quae- sivit ad iudicium captiis, nec iudicibus supplex fuit. Ita enie- censibat, quas esse vias, duplicesque cursus animorum a cor- pore excedentium. Nam qui se humanis vitiis contaminavis- sent, —iis devium quoddam iter esse, seclusum a concilio Deo- rum. Qui autem se integros, castosque servassent, his ad illos, a quibus essent profecti, redditum facile patere. Magistrum strenue secutus est Plato Academiae caput (In Phaedone). Opor- tet, inquit, omnem omnino impendere laborem ad acquirendam virtutem, et sapientiam in hac vita; nam merces est pulchra, et spes grandis. Deinde (De republ. l. 10.): Non facimus aduc- mentionem de praemiosis longe majoribus virtutib[us] propositis; quid enim potest vere magnum esse, quod angustis hujus temporis limitibus conclusum est? longissima vita cum aeternitate com- parata nihil est. Verum non assurit modo immortalitatem di- vinus hic philosophus, sed et rationibus quas ex Alcimo Stanlejs (Hist. phil. p. 4. Plat. doct. c. 25.) refert, constabilivit, et Pinda- rum, aliosque poetarum celebrissimos idem sensisse tradit (In Me- none). Xenophon egregius pariter Socratis discipulus hanc eam- dem doctrinam Cyri morenii, suosq[ue] filios ultimum aliquentis ore proficit, ut est apud Tullium (De Senect. c. 22.): Nolite arbitrari, o mihi charissimi filii, me, cum a vobis discessero, nusquam aut nullum fore. Necenim, dumeram vobiscum, ani- mum meum videbatis: sed eum esse in hoc corpore, ex iis re- bus quas gerebam intelligebatis. Eundem igitur esse credicio- te, etiam si nullum videbitis. Nec vero clarorum virorum post-

mortem honores permanerent, si nihil eorum ipsorum animi efficerent, quo diutius memoriam sui teneremus, tum neque numquam persuaderi potuit, animos, dum in corporibus essent mortalibus, vivere: cum exsisterent ex iis, moriri: nec vero tum animum esse insipientem, cum ex insipienti corpore evasisset: sed cum non admittitione corporis liberatus, purus, et integer esse coepisset, tum esse sapientem. Quae autem ipsius hujus consularis philosophi sententia fuerit, ex superioribus intelligi potest, sed et aliae in locis, quae penitus praeferire nequeo, camdem manifestum fecit (Ib. c. 21.): Quid multa? ita longam hac de disputacionem concludit: sic mihi persuasi, sic sentio: cum tan- ta celeritas animorum sit, tanta memoria praeteriorum, tan- ta futurorum providentia, tot artes, tantae scientiae, tot in- ventae, non posse eam naturam, quae res eas continet, esse moralem. Rursus (Ib. c. 23.): Si in hoc erro, quod animos ho- minum immortales esse credam: libenter erro, ne nulli hunc errorem, quo delecto, dum vivo, extorquerem volo: sin mortuis, ut quidam minutus philosophi censem, nihil sentiam, non reverer, ne hunc errorem meum mortui philosophi derideant. Et (Qq. tusc. l. i. c. 32. [Stram. l. 3.]): Sed me nemo de immortalitate depellet. Aliorum philosophorum effata Clemens Alexandrinus co- piouse colligit. Non ignorò quidem, fuisse omni aetate quosdam, qui ut in ceteris quoque opinionibus contingit, a communi recte sentientia doctrina recesserunt; verum hi comparete ad alios numero, sapientia, virtute conspicuous nullam obtinunt auctorita- tem: quis enim Epicurus (De nat. D. l. 1. c. 29.), reliquaque ejis de gregi curet, quibus tamen nemo magis mortem, quam ti- mendam nonesse inani voce praedicabant, teste Tullio timuit? quis eos et Stoicorum familia, qui diuturnam quidem vitam, at non pe- rennem animi tribuanter? certe paucorum hanc fuisse sententiam, plurimos ejusdem sectae recte sensisse, ex Seneca (Ep. 102.) di- sciimus: Alia nos origo, ita suorum nomine loquitur, expectat, alias rerum statua. Intrepidus horam illam decretoriam pro- spice. Non est animo suprema, sed corpore: transeundum est. Dies iste, quem tamquam supremum reformatas, aeterni na- tulis est. Quod ad Aristotelem (Syst. intell. c. 1. §. 45. not. 9.) attinet, quamvis alli negasse animorum immortalitatem contendere, fuerunt tamen illi, qui hanc ab eo calumniam egregie propul- sarunt, do quibus videatur Cudworthus cum notis Mosheimi. Sed neque ex populis recentius cognitis, quantumvis barbaris, esse unum aliquem, qui omni immortalitatis cognitione destitutus, fu- se ostendit Abbas Banierius (L'hist. gen. des cérémon. moeurs, et coutum. relig. de tous les peupl. du monde t. 5.). Proferamus aliqua: Sinenses viris illustribus vita functis divinos honores de- cernunt, et cum japonibus præmia, vel poenas in altera vita expe- ctare docentur. Incolae insulae Formosae vota faciunt, Dilisque supplicant, ut defunctis locum commodum, amicosque fidos in al-

tero mundo procurent. Peguani sibi firmissime persuadent animas migratione per diversa corpora purgata tandem ad Deum felicitatem pervenire. Telaponeenses in regno Siamensi ad mortuorum busta cantiones quasdam mortales concinunt putantes, effici hac ratione, ut animae rectam, quae ad paradisum ducit, viam ingrediantur. Aracanenses, referente Ferdinando Mendezio, defuncto pontifici magno acclamant: *O qui nunc coeli delicias fructurus abis, ne in hoc nos exilio deseras: quibus aliis respondent: Ut et nos de bonis Domini participemus.* Cochinchinenses; quorum Bramae, sive sacerdotes quamvis actionem bonam praemio, malam contra poena affici in altera vita docent; vari genere dapes, quibus animae alantur, ad sepulchra deferunt, qui mos pluribus quoque aliis notioribus in usu est. Generatim in Iudaeis orientalibus idololatrii scribit laudatus auctor, eos omnes aliquod post mortem iudicium expectare. In Socotra, quae Africæ est insula, filii a parentibus demortuis oracula petunt: *Vos, ajunt, qui nunc cum Deo conversamini, notum facite, quid hoc in negotio a nobis geri velitis.* In Guineo, regis die obsequio, populus magno numero subditus macet, ut hoc stipatus comitatu gloriouse in regnum spirituum ingrediatur. In America Brasiili, et Mexicanis piorum animas ad loca deliciarum plena, in quibus ipsorum parentes morientur, a morte corporis-transire credunt. In quibusdam Floridae locis viva mancipia; apud Caraibas servus, et canis: apud alias arma cum domini cadavere sepeluntur, quibus ille in spirituum regione se defendat. Apalachites, et Canadenses, uti animam ex sole, vel alio astro descendisse arbitrantur, ita eam illuc rursus reversuram potant. Universe apud omnes Americanos populos opinionis huius vestigia deprehensa fuisse multis confirmat Grotius (*De ver. rel. chri. L. 1.*), quem lector adire poterit; mihi jam non licet longiori esse.

Denique communis iste sensus per conscientiam recte, ut perparum factorum, sive per sententiam illam, quam quisvis de propriis actionibus suis in animo pronunciat, luculentissima demonstratur. Projecto nemus uns est, qui ob praeclares facta suavisissimo quodam gudio non perfundatur, sibique ipsi in mente non applaudit; nec vicissim illus est, qui ob male facta non erubescat, seque culpas reprobent: at nonna inde manifeste consequitur non tacito naturae ductu impelli ad sperrandus præmium, vel timendam poenam, non ab hominibus, quos haec facta latent, sed a supremo quodam, nec oculis conspicuo judice? Judicium certe istuc ex naturali animi comparatione profeciscitur, quare vanum ac otiosum esse nequit; potuitne Deus mentem nostram ita comparatam condere, ut necessario de suis ipsa actionibus sententiam numquam executioni dandam ferat? Inde porro horror ille, ac timor mortis exoritur, non minus efficax sensu naturae argumentum, quo omnes ferre, sed illi præcipue anguntur, qui vita flagitiis foedatae sibi consci sunt, et quidem eo vehementius, quo viciniorum sibi mortem inveniuntur; sane timor hic luce clarius ostendit nos esse mortem in-

De Naturali Animæ Humanae Immortalitate. 219

teritum quedam omnia tollentem, sed animæ potius migrationem, et vitæ commutationem. His itaque attenta, purgatasque a præjudicis mente perspisca nullum omnino dubium superest, quin opinio de animorum immortalitate a natura ipsa omnibus inditas sit.

A NOTIONE VIRTUTIS ET VITIA.

- 2.) Aliud morale argumentum ex notione virtutis, et vitiis peccati. Sublata animorum immortalitate virtus in vitium, et hoc in illam degeneraret; in absurdum enim hac hypothesi vita praesens unicum foret, ac summum nostrum bonum, ac proinde, quidquid ei vel directe, vel indirecte obesset, summum malum; sed virtus non raro, saltem indirecte, vitæ praesenti nocet; eam contra saepè foveret, et conservat vitium; qui igitur studiose virtutem sectatur, sumnum sibi malum; qui vitium indulget, summum sibi bonum accersit, at nonne vitium est summum sibi malum ultra accersere; virtus vero illud propulsare; praecclare istud Lactantius persequitur (*Divin. inst. L. 2. c. 9.*). *Praesentis vita noxie virtus. Nam vita ista terrena, quam communem cum brutis animalibus ducimus, et voluptatum experit, cuius fructibus variis, ac suavibus delectatur, et dolorem fugit, cuius asperitas naturam ridentium acerbit sensibus laedit, et ad mortem perducere nittitur, quae dissolvit animantem. Stergo virtus et prohibet ius bonis hominem, quae naturaliter appetuntur, et sustinenda mala impellit, quae naturaliter fugiuntur, ergo malum est virtus, et inimica naturae, stultumque judicare necesse est, qui eam sequitur, quoniam se ipsum laedit, et fugiendo bona praesentia, et appetendo aqua malia sine spe fructus amplioris.* *Nam cum licet nobis jucundissimi frui voluptatibus, nonne sensu carere videtur, similans in humilitate, in egestate, in contemptu, in ignominia vivere, aut ne vivere quidem, sed dolere, cruciari, et mori, ex quibus malis nihil amplius assequaruntur, quo possit voluptas amissa pensari? si autem virtus malum non est, factaque honeste, qui voluptates vitiosas, turpescere contemnit; et fortiter, qui nec dolorem, nec mortem timet, ut officium server: ergo maior aliquod bonum assequatur, necesse est, quam sunt illa, quae spernit. At vero morte suscepit, quod aliud bonum sperari potest, quam aeternitas?* Projecto si nulla alia vita supererset, nullum quoque foret discrimen inter eum, qui pro virtute, aut patria fortiter mortem appetit, et illum, qui pro falso opinione, quam pertinaciter defendendam suscepit, aut gravissimi sceleris causa judicis sententia morte plectitur; tollere vero hoc discrimen est contra rationem nisi.

A DISCRIMINE INTER HOMINEM, ET BELLUM.

- 3.) Ita argumentor: evidenter cum ratione pugnat, ut nobis persuadeamus, hominem, qui longe praestantioris ceteris animalibus, rebusque corporeis naturæ est, his ipsis tamen infelioris, ac deterioris esse conditionis, atque in eo miseriae statu a benignissi-

mo Conditor collocatum esse, ut nequequam numquam non esse miser. Si enim nulla post hanc vitam alia supersit, naturales hominis appetitiones numquam exsatiantur, implentur tamen perfecte brutorum animalium cupiditates bonis hisce temporalibus, ipsa etiam inanitate finem, ad quem condita sunt, plene asequuntur. Solus itaque homo semper desiderans, semper querens veram felicitatem, eam inveniet nusquam? egregie D. Augustinus (*De civ. Dei l. 11. c. 29.*): *Si pecora essemus, carnalem vitam, et quod secundum sensus ejus est, amaremus; idque esset sufficiens bonum nostrum, et secundum hoc, cum esset nobis bene, nihil aliud quereretur.*

A NECESSITATE HUIUS OPINIONIS AD CONSERVANDAM SOCIETATEN HUMANAM.

4.) Opinio de animorum immortalitate, ac alia vita, in qua sit aqua praemiorum, praeaurarum distributio, omnium mentibus insita ad conservandum rem publicam, humanaque societas apprime necessaria est; hac enim sublata omnis virtus, justitia, subditorum in principes observantia, et obedientia, paternus principum in subjectos amor, quibus omni humana societas continetur, una periret. Nisi enim supserit, et omnia perspiciens vindix timeatur, praeter timorem tantum humanum, praeter potentioris metum, nullum aderit motiven, quo homines ad evitanda scelerata effacient impellantur: an vero id genus metu homines in malum aliquoquin propensissimum a criminibus sagis absterrebant, praesertim si spes afflugeat fore, ut ea occultentur? certe si absurdissimum Hobbesii, ac Machiavelli systema obtineat, nullum erit seclusus adeo enorme, quod ab infirmitioribus clam, aperte a potentioribus non admittantur. Fingamus jam communem hanc de immortalitate sentientia cum veritate non consentire: non recte inde concludemus, universalem errorum omnium animis infusum, necessarium esse ad societatem humanam tum conservandam, tum proinde gubernandam? Quid vero haec hypothesis magis absurdum? Ad quid opus erat hominem ratione, que erroris inimica est, instruere, si per errorem gubernandas sit? Quomodo deinde universalis hic error infinita Conditoris sapientia, veritatem, honestate, providentia conciliabitur?

C A P U T I V .*De Necessaria Dei Voluntate, ut Anima Humana
perpetuo existat, et vivat.*

**DEUS ANIMO BENEFICIENDI NOS IN HUNC MUNDUM POTUIT - QUOD FIERET,
NISI ALIA VITA SUPERESSET.**

CXLIX. Deus optimus nos in hunc mundum non animo cruciandi, sed beneficiendi posuit. Propositio haec tuto in axiomatum numero haberi potest; est enim evidentissimum pugnare cum infinita Dei bonitate, ut creaturas rationales eo fine efficiat, ut sint

De Necessaria Dei Voluntate, ut Anima etc. 251

miseriae. Colligitur id praeterea ex innumeris bonis, quae Conditor benignissimus nobis licite, et magna cum voluntate fruenda in hoc mundo concessit. Quid? quod ita ab ipso effecti sumus, ut etiam tum, cum naturea infirmitatibus servimus, stulti voluntate profundamur, quemadmodum evenit, cum cibo, et potu famem, et siti depelimus.

CCL. *Si alia vita perfecte beata non superesset, Deus ponendo nos in hunc mundum, largiendoque cumulate adeo bona haec temporalia, nos summe cruciaret.* Si alia vita perfecte beata non supererit, bona haec praesentia eo solito tendunt, ut naturalem nostram perfectas beatitatis cupiditatem numquam impliendam magis excuant; atque haec ratione homo vehementissime exercitaretur: igitur si alia vita perfecte beata non superesset, Deus ponendo nos in hunc mundum, largiendoque cumulate adeo bona haec temporalia, nos summe excrucieret;

Schol. Praeclare hoc loco quamquam non semper alias, Clericus argumentat (*Pneum. x. 1. c. 6. n. 11. 12.*): *Quavis omnibus bonis, quae hic in vita haec mortali comparari possunt, fruenter: tandem uscaredum esset, et moriendum summa tristitia propter aeternam iudeundissimarum rerum jacturam.* Tunc temporis bona omnia, quibus antea fruebamur, veluti in venena versa non acerbissime cruciarent. Eodem loco essamus, ac qui sine morbo ullo valente stomacho, et cibis appetente recordaretur quidem, se omnis generis cibi olim abundasse, sed sibi statim fame pereundum esse sciret. *Memoria illa praepteritum copiarum euangelizantissime cruciaret, nemus ut eius dolorem lenret.* Igitur vi esset sine spe beatitudinis post hanc vitam futurae moriendum, jam beneficium illud numerus non immerito in nos contulisse videretur bona hujus vitae, non beneficiendi causa, sed potius irritandae nostrarae cupiditatis, cui rama nulla ratione satisfactum vellet; hoc est, animo nos acerbissimo supplicio interficiendi. Cum ita constituti simus, ut omnibus numeris absolutam beatitatem necessario optemus, Deus ostensa nobis aliquanta ejus parte, ut eam magis optaremus, subito omnem ejus spem subtraheret, ut in summa desperatione vitam relinqueremus. Nobiscum ageret eodem modo, ac qui homini fame vehementer laboranti cibum olfaciendum offerret, ut videret miserum. Hoc quid fieri credulius possit, me non capere fateor. Ceterum perfectam beatitatem cum dico, eam intelligo, quae naturalis sit, ac naturae viribus obtineri queat; de supernaturali quippe in philosophia non agitur: sed hoc infra (263, schol. 1. n. 2. fin.) amplius declarabo.

BONITAS DEI POSTULAT, UT EXSTET PERFECTA BEATITAS.

CCL. *Infinita Dei bonitas postulat, ut exstet perfecta beatitas, quam anima post corporis mortem consequi possit.* Si non exaret perfecta beatitas post mortem corporis obtinenda, Deus nos

ponendo in hunc mundum, largiendoque bona praesentia nos summe cruciare (§. pr.), id vero cum infinita Dei bonitate componi minime potest (§. 249.); igitur haec bonitas postulat ut extet in altera vita perfecta beatitas, quam anima morte corporis consequi possit,

QUAE SIT AETERNA — ATQVE ANIMA PERPETUO CONSERVETUR.

CCLII. *Eadem Dei bonitas postulat, ut haec beatitas sit perpetua.* Bonitas quippe Dei postulat, haec beatissimae perfecta, id est ut plene esset naturalem mentis appetitum, quo in eam fertur sed id genus beatitas constans sit, ac perpetua necesse est: est enim status, in quo nihil amplius timeri, aut sperari possit. Certe si illa beatitas tantum temporaria foret, anima ad eam admissa vehementissimo angeretur timore, ne umquam ipsa excedat, quo enim maius est bonum posse sum, eo major est de eo amittendo anxietas: quare rusus Deus animo cruciandi, et tandem crudelissime encendi animam ad eam beatitudinem admissis videatur.

Schol. Sapientes Tullius (*Defin. l. 1. c. 7.*): *Nam si amitti vita beata potest; beata esse non potest.* Quis enim confidit semper sibi illud stabile, et firmum permanensurum, quod fragile, et caducum sit? qui autem diffidet perpetui bonorum suorum, timeat, necesse est, ne aliquando amissis illis sit miser. *Beatus autem esse in maximarum rerum timore nemo potest.* — *Neque enim in aliqua parte, sed in perpetuitate temporis vita beata duci solet:* neque appellatur omnino vita beata, nisi conlecta, et absoluta: nec potest quisquam alias beatus esse, alias miser. Qui enim existimat possesse miserum esse, beatus non erit.

CCLII. *Infinita bonitas postulat, ut Deus animae existentiam, et vitam perpetuo conservet.* Infinita Dei bonitas postulat, ut extet perfecta beatitas, eaque perpetua, quam anima a morte corporis consequi possit (§§. praecl.) ; sed nisi existentia, ac vita animae perpetuo conservetur, nequit ea perpetuam beatitudinem consequi igitur infinita Dei bonitas perpetuam existentiae, ac vitae animae conservationem postulat.

SAPIENTIA DEI POSTULAT MEDIA APTISSIMA AD OBTINENDAM OBSERVANTIAM L. N.

CCLIV. *Infinita Sapientia postulat, ut Deus eligat media apertissima, quibus homines, salva libertate, ad observantem legis naturae impellat.* Ut enim Deus in mundi procreatione manifestationem suarum perfectionum pro fine sibi praesistere debuit (*cosm. §. 73.*) ita singulari quadam modo patefactionem suorum attributorum moralium, quae per actus morales creaturarum rationalium, id est, per accuratam legis naturalis observantiam, comparatur, utpote longe nobilissimum intendere et debuit, et voluit; at vero sapientiae partes sunt eligere media ad finem obtinendum apertissima: igitur Deus vi sapientiae infinitae eligere debuit media apertissima, quibus a creaturis rationalibus, salva ipsarum libertate, accu-

ratissimam legis naturae observantiam impetrat; seu quod idem est, sapientia infinita postulat, ut Deus eligat media apertissima, quibus homines salva libertate ad observantiam legis naturalis impellat.

IDEM PROVIDENTIA POSTULAT.

CCLV. *Infinita Dei Providentia id ipsum postulat.* Infinita providentia postulat, ut Deus creaturis rationalibus normam quendam praesistat, ad quam ipsae accommodando suis actiones morales faciat, veramque beatitudinem certissime consequantur, quod in philosophia morali demonstratur: igitur etiam eadem providentia postulat, ut Deus creaturas has rationales apertissimas, quibus salva ipsarum libertate potest, incitamentiis ac mediis ad eam normam sequandam impellat; sicut enim absque id genus norma, ita quoque sine ejusmodi incitamentis genus humanum provide non gubernatur.

MARE MEDIA SUNT PRÆMIA AC POENAE AETERNAE.

CCLVI. *Incitamenta altissima, quibus homines salva libertate, ad legis naturalis observantiam impellantur, non sunt nisi præmia, et poenae aeternae.* Imprimis enim lex naturae, cum veram rationem legis habeat, non ordinacionem modo, sed et sanctiōnem, quae in constitutione præmiorum, et poeniarum sita est, continet. Vid. Cl. P. Steinbckler (*Inst. phil. mor. p. 2. c. 8.*). Deinde sic argumentor. Incitamenta apertissima eas solum dici possunt, quae comparate ad præsentia adjuncta, spectata nimur naturae imbecillitate, maxima ad malum propensione, voluptatum illecebris, ac vitiorum invitamentis, atque superandas in virtutum exercitio difficilatibus omnes universae homines ad sectandam virtutem efficaciter impellere, et a vitiis retrahere possunt; atqui istud præmia, aut poenae præstare nequeunt, nisi aeternae sint: cum enim nunc, quando poeniarum perpetuatatem ex Divina Revelatione certo novimus, quam purissimi tamen ad turpissima flagitia summa licentia deflectant, quid futuris prudenter sperari possit, si temporarium solum præmium virtuti, et simili poena vito constituta fore? Certe passim homines præsentibus voluptibus, a quibus vehementissime allicuntur, eas poenas, utpote et adhuc multum remotas, et non perpetuo duraturas posthabent; igitur incitamenta apertissima, quibus homines, salva libertate, ad legis naturalis observantiam impellantur, non sunt, nisi præmia et poenae aeternae.

Coroll. Itaque et sapientia, et providentia infinita postulant, ut Deus propositis præmiis, ac poenis aeternis homines ad accuratam legis naturalis observantiam impellat.

SAPIENTIA, PROVIDENTIA PERPETUAM ANIMAE CONSERVATIONEM POSTULANT.

CCLVII. *Infinita sapientia, ac providentia postulant, ut Deus animae existentiam, et vitam perpetuo conservet.* Infinita sapientia, et providentia postulant, ut Deus hominem propositis præmiis, et poenis aeternis ad observantiam legis naturae impellat (*§. praecl. cor.*): sed istud fieri nequit, nisi Deus existentiam, ac vitam animae

perpetuo conservet; ergo infinita sapientia, ac providentia postulant, ut Deus animas existentiam, ac vitam perpetuo conservet.

JUSTITIA DEI POSTULAT, UT VIRTUS PRAEMIO, VITIUM POENI AFFICIATUR.

CCLVIII. *Infinita Dei justitia postulat, ut condignum prae-
mium virtuti, et vito poenam tribuatur.* Justitia Dei aliud non est, quam bonitas sapienter administrata, ut in theologia ostendam; atque Deus suam bonitatem nequam sapienter administraret, nisi virtutem condigno praemio remuneraretur, vitiumque promorita poena multaret; si enim illud non praestaret, suam bonitatem probis, et improbus acquiesceret, ex reapse in mente bonus foret; quod utique sapientiae legibus repugnat; sapientia quippe postulat, ut approbat eorum mores, qui leges a se statutas observant, improbat contra eorum vitae rationem, qui ab iisdem recedunt, atque ut hanc vel approbationem, vel improbationem ipso quoque ope-
rate patefaciat; id quod aqua praemiorum, ponarumque representatione oblinetur: igitur infinita Dei justitia postulat, ut condignum praemium virtuti, et vito poena tribuatur.

Schol. Certe, quemadmodum Clarkius (*Trait. de l'exist. et des at-
trib. de Dieu t. 1. ch. 6.*) arguit, et si nos abstrahendo etiam ab omni praemio divinam voluntatem acficatione summa exequi tenemus, infinita tamen sapientia bonitati juncta postulat, ut Deus manifeste ostendat placere sibi probitatem; improbitatem contra vehementer displicere. Eadem igitur rationes, quae evincunt summam a nobis ipsis legis observantiam deberi, demonstrant simil convenientissimum esse, ut contentus illis illatus vindicetur; et temerari transgressores puniantur; nullus enim legislator, salva sua bonitate ac justitia, legum a sanctis carum contentum impune ferre potest: magistras legum, legislatoris dignitas, curaque, quam de conservanda sua auctoritate gerere debet, ipsum denique gubernatoris bonum id exigunt. Quod si Deus nec bonus praemii, nec malos poenis afficeret, suo velut suffragio illos cum his aequare, ac improbitatem approbare videtur: quo admissum omnis legum honor periret, et vilissimorum hominumconcius pedibus concilcarietur, neque jam restaret, unde agnosceremus eas leges divinas esse, cum illarum laetissimum minime a Deo vindicari sciremus.

**QUOD IN HAC VITA NON SATUS OBTINETUR -- QUARE ALIA SUPEREST -- ET QUIDEM
ETERNA -- UNDE ANIMA PERPETUO CONSERVARI DESET.**

CCIX. *In hac vita mortali nec virtuti praemium, nec vito con-
digna poena tribuitur.* Quotidiana experientia asserti veritatem lu-
culentem testatur; videmus enim frequentissime impios divitios, hono-
ribus, ceterisque hujus vitae bonis ad mortem usque abundare; vir-
tutis contra studiosos rerum omnium inopia, iniqua valetudine, do-
loribus, contentu, aliiisque gravissimis incommode conflectari. Quid
quod multi ipsi quasi ultima vita momentum aut virtutis, aut viti
actum exercent? Quod ergo illius praemium, quae hujus poena in hac
vita esse potest? Deinde nec bona haec caduca, cum naturalem ho-

minis cupiditatē irritant solū, non expletant, condigna virtutis praemia esse quent.

CCLX. *Infinita Dei justitia postulat, ut alias post hanc super-
sit vita, in qua probi praemites, improbi poenis afficiantur.* Justitia
divina postulat, ut condigne virtuti praemium, ac vito poena tri-
buatur (§. 258), idque in hac vita mortalī non obtinetur (§. praecc.):
ergo eadem justitia postulat, ut alia supersit vita, in qua probi praem-
ites, improbi poenis condigni afficiantur.

Coroll. Necesse esse, ut vita haec perpetua sit, ex (§§. 246. 251.) col-
ligerit; nam ei essentia veri praemii exigit, ut animam perfecte
beatam reddat.

CCLXI. *Infinita justitia postulat, ut Deus animae existen-
tiā, ac vitā perpetuo conservet.* Infinita Dei justitia postulat,
ut alia post hanc supersit vita, et quidem eterna, in qua probi praem-
ites, improbi poenis afficiantur (§. praec. cor.); sed istud fieri ne-
quit, nisi animas existentias, et vita perpetua a Deo conservetur: ergo
infinita justitia postulat, ut Deus animae existentiam, ac vitam
perpetuo conservet.

DEUS NECESSARIO ANIMAM PERPETUO CONSERVAT.

CCLXII. *Deus necessario vult animae humanae existentiam,
et vitam perpetuo conservare.* Id Deus necessario vult, quod infinita
illius bonitas, sapientia, providentia, ac justitia postulant, ut in
aperto est; sed hae perfections postulant, ut Deus animae humanae
existentiam, ac vitam perpetuo conservet (§§. 253. 257. 261.): ergo
Deus necessario vult animae humanae existentiam, et vitam perpetuo
conservare.

Schol. Nihil itaque agent, qui cum Lockio (*Trois. repl. à Mr. Sti-
ling. stet.*), Mejero (*Gedenken von dem Zustand, der der Se-
ele nach dem Tode*), aliiisque non paucis contendunt, nos sola ra-
tione naturali adjutis minimi scire posse, quid Deus de anima no-
stra post corporis mortem decretivit. *Nam cum divina voluntas,
ut egregie Genensis (Elem. p. 2. prop. 14. n. 18. not. 1. p. 93.)*
ratiocinatur, aeternae sapientiae esse contraria nequeat; pos-
suntque ex rerum natura plures divinae sapientiae rationes
nobis intelligi, et voluntates, quae ad eas rationes pertinent,
intelligi a nobis posse, equidem nemini ambiguum esse puto.
*Ut ecce, Deum velle mundum existere, quem conservat tanto
ordine, ac providentia; item velle omnia ex aeterno ordine in
eo fieri; tum homines et se conservare, ac mutuo se forvere, et
anare, ac plura ejusdem generis perspicua, ego esse ajo ex
naturae ipsis contemplatione.* Itaque quamquam divinam
homines sapientiam et voluntatem plene, et adaequate nullo
pacto comprehendere possum, sunt tamen plurimæ, quæ na-
turæ res spectant, ut quibus liquida rationes, ac voluntatem
Dei intelligimus. *Ad id nos genus referre hoc possumus, de quo
disputamus, menter humanam esse quam a natura sua, tam*